

Hab. in rupēstribus apricis herbidis frequens (L. M. B.).

Fl. versus finem Junii et Julio. 24.

Descriptioni, quam olim speciminibus paucis adaptavi, jam ad plantam vivam frequentissime observatam nonnihil addam. Radix crassa, sublignescens, apice squamis numerosis imbricatis (petiolorum annorum praeteritorum residuis) dense oblecta. Color totius herbae flavo-viridis, parum in glaucum vergens. Caulis aut solitarius, erectus, strictus, sex pollices vel ad summum pedem, altus, a medio ad apicem usque, rarius inferne etiam ramosus: ramis paniculatis; aut caules plures ex eadem radice adscendentes, divaricati, a basi ramosissimi: ramis elongatis, subfastigiatis. Folia *radicalia* in planta altaica saepe profunde pinnati-partita: *laciniis* latioribus vel angustioribus; *lateralibus* integris vel iterum dentatis, immo pinnatipartitis; *terminali* elongata; *caulina* infima radicalibus simillima; *superiora* sensim magis integra evadunt; *suprema* integerrima, linearia. E regione baicalensi autem specimina possideo, foliis subintegris vel leviter incisis instructa, caeterum nostrae simillima. Flores in speciminibus caulem solitarium emittentibus in omnibus ramis racemosi, petiolo anthodii fere longitudine suffulti, paniculati; in speciminibus multicaulibus e contra in apice ramorum et ramulorum elongatorum solitarii, subcorymbosi. Anthodii *foliola* plerumque pilis crassiusculis brevibus curvatis albis oblecta, rarius glabriuscula et tunc evidentius apice ciliato-barbata et infra apicem canaliculata; *interiora* margine membranacea.

2. PRENANTHES POLYMORPHA. m.

P. eximie glauca, caule a basi ramosissimo foliisque glaberrimis; radicalibus in petiolum attenuatis obovatis vel oblongis integris vel dentatopinnatifidis lyratisve; summis linearibus integerrimis, ramis subfastigiatis, anthodii glaberrimi foliolis apice simplicibus.

P. polymorpha. Ledeb. Ic. pl. Fl. ross. alt. illustr. t. 498.

Hieracium foliis radicalibus quibusdam ex sinuato dentatis, quibusdam ut et caulinis linearibus integerrimis. *Gmel. Fl. sib. II. p. 20, No. 18, t. VII, (excl. forte fig. 1.)*

α. pygmaea: caulibus brevissimis folia vix superantibus.

P. pygmaea. Ledeb. Decad. pl. in Mém. de l'Acad. des sciences de St. Petersb. V. p. 553, No. 40.

a. integrifolia: foliis radicalibus integris vel subdenticulatis.

Hieracium. *Gmel. l. c. var. II.* Foliis radicalibus ovatis, dentatis. *Tab. VII. f. 3.*

b. lyrata: foliis radicalibus lyratis: laciniis omnibus apice rotundatis.

β. flaccida: caule subelongato flaccido per totam longitudinem foliato: foliis linearibus vel oblongo-linearibus subintegerrimis longe petiolatis.

P. pygmaea. Ledeb. l. c. var. angustifolia, caule elongato.

Hieracium. *Gmel. l. c. var. I.* Foliis fere omnibus capillaceis. *Tab. VII. f. 2.*

γ. flexuosa: caulibus numerosis ramosissimis flexuosis rigidis, foliis obovato-oblongis plerumque basi dentatis vel lyrato-pinnatifidis.

Hab. var. α. „in asperis montosis locis inter urbes Jakutzk et Ochotzk” (*Steller et Gmel.*); *var. β.* in Sibiria orientali (*Gmel.*); *var. γ.* in rupestribus mont. Arkaul et Tschingistau deserti soongoro-kirghisici (*M.*). Fl. Maj.—Jul. 4.

Varietatum α. et β., quae intra hujus Florae limites nondum observatae sunt, descriptionem dedimus loco supra indicato. *Var. γ.* habitu alieno differre, nullis vero characteribus certis distinguenda videtur. E radice lignescente, multicipite foliorum fasciculi caulibus pluribus intermixti proveniunt. Caules 7 pollices circiter alti, a basi ad apicem ramosissimi, fastigiati, flexuosi. Folia radicalia basi in petiolum longum attenuata, obovato-oblonga,

rarius integra vel circacircum leviter dentata, plerumque basi profunde dentata vel potius lyrato-pinnatifida; *caulina* fere omnia linearia, integerrima, sessilia, rarius unum alterumve radicalibus quoad formam simile, sed multo minus in inferiore caulis parte observatur. Flores corymbosi vel potius ramulos elongatos fastigiatos terminantes. Anthodium glabrum: foliis omnibus simplicibus, i. e. nec ciliato-barbatis, nec coriatis auctis.

Haec *var. alba* cum forma multicauli speciei antecedentis habitu non parum convenit, tamen dignoscitur colore totius herbae e nigricante viridi maxime glauco, floribus multo minoribus, corollulis in quovis anthodio paucioribus, anthodii foliis omnibus glaberrimis, apice simplicibus, nec ciliato-barbatis, nec infra apicem corbiculatis. Achenia insuper in hac specie versus apicem attenuata sunt, ita ut pappus substipitatus videatur, quod in *P. diversifolia* nunquam observatur.

An *Gmel. L.c. f. 1.* potius ad speciem antecedentem? — utrum diversa species hucusque ignota?

407. CHONDRILLA LANN. (L.)

LINK. *gen. pl. ed. SCHREB. II. p. 528. No. 1235.* — GAERTN. *II. p. 362. t. CLVIII. f. 7.* — LAM. *ill. t. 650. f. 1. 2.* — SCHKUR *t. CCXVIII.*

Anthodium oligophyllum, cylindricum, calyculatum, pauciflorum. Receptaculum nudum. Pappus pilosus, longe stipitatus: stipite basi squamulis paleaceis obvallato.

1. CHONDRILLA STRICTA. m.

Ch. caule basi hispido ramoso, foliis radicalibus obovato-runcinatis glabris; caulinis rameisque ovato-oblongis lanceolatisve integerrimis denticulatisve, ramis anthodiisque arachnoideo-tomentosis.

Ch. stricta. *Ledeb. Ic. pl. Fl. ross. alt. illustr. t. 37.*